

F L O S
PATRIORUM DECORUM
IN GIBERTO
ODE

Huc lectiores sedula nectaris
Raptura merces Ales, et ocius
Uno liquatos flore florum
Sidereos popolare succos,
Errore circum vecta volubili,
Vitalianis quos legit hortulis,
Rores GIBERTUS, et liquatos
Ambrosiae relegas pyropos :
Mirteta quidquid floribus educant
Priscis, Quirinum queis dedit Urbium
Regina nomen, purpuratis
Clarius imperio Tyrannis;
Multo secunda Sorte beaius
Magno GIBERTUS pectore condidit,
Proles Parentum vera, magnis
Maior et è Patribus coruscis,
Seu te imperantem detinet alitem
Regalis ardor, purpura fascibus
Ingens Ionnis gloriosis
Nectareis dabit arva rivis:
Seu flos sacrorum Principis, imperi
Gestamen orbis tergeminum ferens,
Vitaliani cerne dignam
Auspicijs superum tiaram:
Nec mel recentis negligè flosculi

Quem vix odorus protulerit calix
Fiet (GIBERTI hoc spondet omen)
Cum populis sedeat regendis.
Tunc aequa recto, consilij ferax
Sincera mentis copia divitis,
Ingensque Virtutum supellex
Iura dabunt meliore saeclo.
Nec patriorum germina cespitem
Quaeras latinae lumina purpurae,
Virtutis haeres, nam parentes
Restituet geminos GIBERTUS:
Quidquid subactis paruit orbibus
Magnum Ioanni, sidereum sacris,
Iustina quidquid cernit astris,
Murice quae proprio colorat;
Quidquid parentum gloria cardine
Utroque sparsit solis, amabili
Regnat GIBERTI mente, maius
Nec Patribus referent Nepotes
Huc ergo blandis laeta volatibus
Caelestis Ales, mellea combibe
Queis allabores dona succos,
Sidereas fabricare merces.

Comes Carolus Corius Acad. Anim. Princeps.

AD GIBERTVM COMITEM

EPIGRAMMA

RERUM saeta parens dederat quae praemia, priscos
Reddere centuplici soenore vidit Avos;
Stemmata scrutatur titulis addenda vetustis,
At reperit nullas quas superaddat opes,
Uno animo claudam quaecumque insigna, dixit
Et BORROMAEIS cuncta GIBERTUS erit

Carolus Franciscus Longus Acad. Anim.

EIDEM

SOLIS alunt nitidae Caelo stipendia lucis
Sidera, inextinto lumine si qua micant,
Sidera sunt Proavi, patrij sol stemmatis ipse,
At valet hic Magnos; condere Phoebus Avos.

Petrus Antonius Castelnovus Acad. Anim.

CUM IN TE COLLEGERIS, RENATE,
NOBIS EPILOGI LABOREM IMMINUAS .
PRAEPOSTERA PERORATIO FUERAT, DE TE ANTEA MEMINISSE.
LOCUM OMNEM HONESTARE QUI POTERAS, ES SERVATUS EXTREMO;
FRATREM COMITARIS, NON SEQUERIS.
QUOD ILLUM AMARE DEBEAS, VIRTUS ILLIVS EST;
TUA VERO FELICITAS, QUOD EIDEM INVIDERE NON POSSIS.
QUAE SUNT IN ILLO LAUDATA, SOLA NON LAUDABUNTUR IN TE.
HOC UNUM TAMEN AB EO DAMNUM ACCIPIS, QUOD PAREM HABEAS.
LAUREAM IGITUR GEMINARE PAR FUERAT,
NISI UNA SUFFICERET, UBI MERITA DIVERSA NON SUNT.
NON MINUS FRATREM AMBIUNT INSULAE, QUAM TE CASTRA .
UT A GIBERTO CAROLUM, ITA EXPECTAMUS A RENATO IOANNEM.
EX VERE TUO PAECOCEM METIMUR AUTUMNUM,
CUM VIX FLORES PROMISERIS IAM EXHIBES FRUCTUS,
SED UBI FINEM NON HABENT MERITA VESTRA,
IBI FINEM HABERE PAR EST NOSTRA PRAECONIA.

Carolus Cid. Acad. Anim.